

fide meriti, cum in excidium patriæ suæ accensum, ultionis desiderio Furium Camillum aduentare, Romanasque legiones audissent, nec aduersus tantum Ducem & exercitum spei quicquam in armis foret, spem omnem in solertia posuerunt. Igitur tranquillo pacificoque habitu, omnis sexus atque ætas moenia vr̄bis egrediens, hostes suos, velut ignari, ob quam causam venissent, humanè atque alacriter exceperunt, armatosque nullo vestigio timoris ædito, in vr̄bem introduxerunt, commeatibus, & cunctis quæ in rem essent affatim ministratis: quo tamen insperato obsequiorum cumulo, pudor hostibus iniectus est, quin pro odio amicitiam, pro impendenti patriæ ruina, Romanæ vr̄bis nomen, & iura meruerunt.

## AVGVSTVS CAESAR.

**I**N Augusto quidem Cæsare adulteriorum consuetudinem legimus, hoc enim & inimici eius exprobrant, nec amici factum negant, sed excusant, multis periculis iactatum Principem, insidiisque tam domesticis quàm externis, ad id non voluptate turpi, sed solerti consilio ductum, asserentes quò facilius scilicet fa-